

Petrus de Vinea

*Ep. IV 16 (Casus filii tui,
quem sublatum de medio...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. IV 16 (Casus filii tui,
quem sublatum de medio...)*

post 1250?

Litterae consolatoriae ad quemdam de morte filii sui.

1. Casus filii tui, quem sublatum de medio quorundam nostrorum fidelium relatione perpendimus, ad compassionem doloris, qui paternum pectus euerberat, serenitatis nostrae clementiam inuitauit. Calamitoso igitur et suspiriis obstito benigne compatimur, et doloribus tuis misericorditer condolemus, tamquam qui a natura parentibus amorem ingenitum erga genitos nouimus, et acerbitem sortis contrariae seuientis in liberos nullatenus ignoramus. 2. Oritur namque ex nimia dilectione doloris immensitas, sub qua ponentes gemitus frequentius defecerunt, nisi necessario consolationis remedio leniantur. 3. Prudentes tamen se ad maiorum exempla conuertunt si liberos amiserunt, et post datas funeri lacrimas, dolore deposito, ad compassionem animi saucii uiriliter intenderunt, illud potissime attendentes ex mortali immortale generari non posse, nec ex uite corrupta palmites incorruptibiles procreari. 4. Preterea quis ignorat mortem mortales defferre? Quis non nouit, quod mors omnia tollit? Omnia morte cadunt, quae dum per cetum mortalium indiscreta uagatur, aliquando parentum uotis, qui liberos optant habere superstitis, effectum tribuit, aliquando eorum precibus aures non exhibens mactat intrepide liberos ante oculos genitorum: senes uelut eorum oblita preterit, non uerens in pueros et iuuenes lascuire. 5. Quapropter fidelitatem tuam requirimus et hortamur attente, mandantes quatenus in hiis et aliis, quae uelut discretus ad lenimen tuae calamitatis agnoscens, spiritum consolationis assumas, lacrimis et gemitibus, quibus non uiriles sed enerues et molles muliebrium animi intabescunt, de cetero nullatenus uacaturus.